



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

SS. Petri & Pauli festo Paraphrasis lectionis Actor. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

duo præcise æquales in cælis, ut ait magnus Dionysius. Si ergo nemo illo est <sup>Dionysius</sup> maior, consequens eum esse summum. Si dicas, Ecquid inde habet dignita- <sup>martyr.</sup> tis quod primam occupat sedem? Multum profecto habet, nempe omne il- lud, quod erat habiturus lucifer, si perstitisset. Lucifer si perseverasset, fuisset primus & supremus dux, princeps, magister & doctor omnium angelo- rum, cunctis alijs potentior, habuissetq; alios moderari ac illuminare, & ip- senon nisi à Deo regeretur ac illuminaretur. Fuisset item alijs omnibus pul- chrior, illustrior, purior, ardentior, in amore perfectior, atque ita ipse alios purgasset, illuminasset ac perfecisset: denique aliorum omnium inferiorum perfectiones ipse habuisset. Si ergo S. Joannes, ut piè credimus in eius est locum subrogatus, cunctis his præditus est bonis. Quod tamè utcumq; se ha- beat, id certo certius est, eum sicut maximis in terra meritis & incompara- bili abundavit gratia, ita nunc præcipuo præmio & inestimabili gloria re- fulgere in cælis. Quapropter oremus eum dilectissimi, ut nobis apud Deum suis meritis & precibus auxilio semper esse dignetur, ad laudem & gloriam creatoris, qui est benedictus in secula, Amen.

IN SOLENNITATE SANCTORVM APO-  
stolorum Petri & Pauli, Lectio Actor. XII.

**M** diebus illis, Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Vi- dens autem, quia placeret Iudæis, apposuit & apprehendere & Petrum. Erant autem dies æzymorum. Quem cum apprehen- disset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem ser- uabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinculns catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussitq; latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catena de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum, Præcinge- re, & calceate caligas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Transiunt es autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, que ducit ad civitatem, que vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, & continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIIONEM.

**Q**uamvis hic dies excellentissimis duobus Christi Apostolis, nempe Petro & Paulo dicatus sit, tamen Ecclesia memor quanta per illos di- quinitus beneficia consecuta sit, noluit eis vnius diei impendere officium,



sed duos dies eorum venerationi destinavit, vel hoc ipso satis indicent, quantopere Christianos omnes deceat his suæ fidei præcipuis post Deum autoribus ingentes & singulares exoluere laudes, ac gratiarum actiones. Inque hæc die eiusmodi Lectio recitatur, quæ ad vnum D. Petrum pertinet: crassina verò talis, quæ non nisi vni D. Paulo possit assignari. Prout mater Ecclesia sancti Spiritus ducta magisterio celebrem tantorum patrum voluit seruari memoriam, nec perfunctoriam, sed seriam & attentam à cunctis Christi fidelibus eis reuerentiam exhiberi. Huius quidem diei lectio simplex & plana est, tota historica, nec expositione indigens, quam tamen more nostro paraphrasticè reddemus. Herodes rex, non quidem secundum Herodis filius, sed abnepos, filius autem Aristobuli, quem Herodes Antipater genuit, maligno incitatus spiritu (qui quod per se præstare non potest, per membra sua, nempe homines impios efficit) misit manus nefarias, ut affligeret quosdam de Ecclesia Christianorum. Prædixerat hoc Christus martyribus suis, passuros eos flagella, persecutiones & mortem ipsam. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis Apostoli, filium Zebedæi, vnum et secretioribus Christi Apostolis, sicut aliquot Euangelij locis est videre, gladio, id est, iussit eum capite truncari: non aliam ob causam, nisi quod impium Iudæorum pontifex Abiathar invidia percitus, quod plurimos ad Christi fidem traderet, apud Herodem eum accusari curauit: vnde pro pietate necidatus est. Videns autem quia placeret Iudæis, quibus dominabatur, proposuit apprehendere & Petrum, tanquam præcipuum Christianæ professionis columnen. O cæcam Herodis miseri insaniam. Modo placeat hominibus, nihil veretur etiam innoxium fundere sanguinem. Vtrum placeat Deo vel displiceat, nihil illi curæ est, tantum ut auram quandam capere popularem. O quor huius farine homines etiamnum mundus habet. Quam multa sunt diuinis humanisque cauta legibus, solum ut hominibus placeatur. Et quid est obsecro placere velle hominibus in rebus illicitis, nisi seipsum Deo & bonis omnibus inuisum, dæmonibus autem ludum exhibere? O cæcas hominum mentes, o pectora cæca. Redite tandem præuaricatores ad cor. Potius velitis Deo & sanctis omnibus placere bene agendo, quàm diabolo & serui illius illicita sectando. Erant autem dies azymorum, id est, Paschalis solennitas, quibus iuxta legis decreta Iudæi, azymis panibus, quibus nihil fermenti inerat vescabantur. His verbis Euangelista causam reddit, cur non statim eum neci dederit. Hypocrita Herodes ut magis hominibus sese vendideret, seruat utcumque extrinsecus legales ritus, sed intus in corde nequitiam & flagitia meditatur. Cum autem apprehendisset D. Petrum, misit in carcerem, vilissimus scilicet regulus Ecclesiæ caput & principem ergastulo includens, cuius non erat dignus vestigia osculari, tradens eum quatuor quatermionibus militum ad custodiendum, fortasse ut per singulas noctis vigiliis quatuor milites circa eum excubias agerent, ne quouis modo elaberetur. Iam enim rumor sparserat multa D. Petrum mira egisse: quæ tamen impij non Dei virtuti, sed magicis artibus tribuebant: volebatque post Pascha producere eum populo. En hominem stultum & impium, nihil nisi populi fauorem etiam in re nefaria aucupantem. Et Petrus quidem Christi vicarius, Apostolici agminis princeps, seruabatur in carcere fortassis terro & horrido oratio

Herodes qui D. Iacobum occidit quis fuerit.

Matth. 10.  
Lucæ 20.

Matth. 9. 26.  
Marc. 5. 14.  
Lucæ 8. 22.  
D. Iacobus cur occisus fuerit ab Herode.

Placere velle hominibus quem fructu pariet. Esaiæ 46.

Exod. 12. 19.  
Num. 28.  
Deut. 16.

Acto. 2. 14.  
1. 10.



ratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Petrus pastor Ecclesie omnium ipsi commissarum precibus seruari petitur ne occidatur. Erat enim adhuc tenera Ecclesie necessarius, & pii omnes scientes illi a Christo commissam credentium omnium curam atque præ ceteris clarissima eum fulgere miraculorum gloria, instantissime postulabant à Deo, ut ex Herodis manibus eriperetur. Vbi apparet sanè exemplum memorabile pii amoris ac reuerentiæ Christi fidelium in pastorem suum, ne quis putet paripendendum esse si Ecclesia suo pastore, Christi vicario principali destituatur. Sed vix tepori temporum horum, quibus populus nihilipendit pastores suos, dignus qui tyrannis Ethnicis vel Turcis excoriandus tradatur. Simul etiam discimus, quid in rebus aduersis agendum sit: nempe ad Deum per continuas & feruentes recurrendum preces, ut is opem nobis ferat. Quod hodie Christianorum vulgus omne penitus negligere videtur. Multi sunt, qui toto anno vix vnam orationem attentis cordibus legant. Et quid adhuc miramur multis nos calamitatibus affici? Miremur potius, non diu orbem ob sua scelera sulphureis ignibus conflagrasse. En misso in carcerem D. Petro tota Ecclesia perpetuis instat precibus ut liberetur. Hodie si tota Ecclesia maximis sit exposita periculis, vix rarissimæ fiunt preces, exdemq; tam frigidis & distractis animis, ut magis iram Dei, quam misericordiam prouocare queant. Dignè ergo patimur si quid patimur. Si nos iram Dei vitæ emendatione & pijs precibus mitigare studeremus, non est abbreviata manus Domini, ut amplius misereri non possit.

Cum autem producturus esset Herodes Petrum morte plectendum, in ipsa nocte erat idem Petrus dormiens inter duos milites, vinculus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem. O quanta est diuinæ gratiæ efficacia. Quondam D. Petrus ita ancillæ pertimuerat vocem, ut amantissimum Dominum & Magistrum suum negaret: nunc in præsentissimæ mortis positus periculis, alto deprimitur somno securus sui, faciens quod David hortatur: *Iacta super Dominum curam tuam*. Verè hæc mutatio dextræ excelsi. O beatissime Petre magna est fiducia tua: tot vallatus custodibus, tot astrictus vinculis, tot expositus insidijs & periculis somno indulges, nihil scilicet mortem veritus, sed irridens potius, quicquid in te humana malitia conferre posset. Ecece Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, id est, in carcere, quod tamen lumen solus Petrus vidisse dicitur: percussitq; latere Petri alto somno decumbentis, excitauit eum dicens: Surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus eius, diuina virtute contractæ ac dissipatæ. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere & calcia te caligas tuas, id est, indue te caligas tuas. Et fecit Petrus sic. Et dixit illi Angelus: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur Angelus, & nesciebat quia reuera fieret, quod per Angelum fieri cernebat. Existimabat autem se visum videre. Fortassis enim nondum plene ab oculis somnum dirisuerat. Certum est enim, & etiam quotidiano dicitur experimèto quosdam in somno ambulare. Transientes autem primam vigiliam & secundam custodiam, id est, milites diuersis locis ad custodiendum Petrum collocatos, sed Dei virtute præpeditos ne illum videre possent exeuntem, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem Hierosolymam, eaq; porta vltro

Ioan. 11.

Act. 5.

Pastores suos  
ut fideles in  
reuerentia  
habent.

Orationibus  
quatenus in-  
sultandum sit.

Esais 59.

Math. 6.

Marc. 14.

Luc. 21.

Ioan. 15.

Psal. 54. 76.

h h h                      aperta



aperta est eis. Nihil enim potest Dei virtuti resistere. Et euntes procellerunt vicium vnum, & continuo discessit Angelus ab eo iam plenè sibi reddito. Et Petrus ad se reuersus dixit: Nunc scio re vera, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudeorum. En populus perfidus Petri necem scijit, cui Herodes vt satisfacere faceret supra dictum est, misit eum in carcerem sed impius prius extinctus est, quam D. Petrum posset occidere.

EXEGESIS EVANGELII IN EADEM CE-  
lebritate, *Matthei XVI.*

**C**onuenientissimè hac die recitat S. Ecclesia Euangelium, vbi Dominus Iesus D. Petro clauis regni caelestis tradidisse, & eundem totius Ecclesiae principem instituisse narratur. Hæc namque maximè ornant beatissimum Apostolum, vt non modo cum cæteris, sed etiam præ cætera apostolis ligandi atque soluendi auctoritatem dicatur affectus. Verè magna est D. Petri dignitas & excellentia, grandis auctoritas, quam merito formidare debeat etiam omnis dæmonum multitudo. Væ tibi Lucifer superbe tumidè. En piscator abiectus pauper & humilis pro sua modestia ac humilitate summum obtinet in Ecclesia principatum, atque in caelis præcipue fulget honore, te ob tuam intolerabilem superbiam in tartari profundis demerso. Ita nimirum qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Piscator Petrus in sublimè tollitur, superbus Lucifer ruit in ima. *O dicitur sapientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Hominem rudem, simplicem, idiotam, pauperem, despectum ætate sapientia, que minimè fallitur aut errat, ad tantum erigit millicanis acrophantis Ecclesie fastigium, & electissimum ac nobilissimum spiritum doli insolenter erigentem infra omnes depressit ac detrusit. Caueamus superbia diaboli, & Christi imitemur humilitatem. Super quem enim requiescit spiritus meus, ait Dominus, nisi super humilem & quietum? At nunc Euangelium tractandum suscipiamus.

Venit Iesus in partes Cæsariæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicēs: Quem dicunt homines esse filium hominis?

Pissimus humani generis redemptor vltro citroq; pro animabus redemptendis in fatigabili studio, & alacri feruore cursitabat, atque per omnem Iudææ regionem obambulans, vbique omnes ad agendam poenitentiam hortabatur. Missus enim erat ad requirendas oues perditas domus Israël, quoque munus ipsi à Patre delegatum strenuè exequabatur. Atque inter hæc videntur partes Cæsariæ illius, qua Philippus Herodis magni filius restauraræque amplificarat, & Tiberio Cæsari dicerat: ibidemq; interrogauit discipulos suos quid de ipso dicerent homines. Sed cur interrogauit, quem nihil laborabat vt vera confessio suam haberet & meritum & præmium. Sic olim in paradiso dedit præceptum homini, ne edere de arbore scientiæ boni & mali. Non poterat eos caelo inuolare absque illius præcepti adhibitione? Poterat vtique sed voluit etiam hominis accedere studium & obedientiam, vt aliud quod meritum existeret. Rectè sanè D. Augustinus: Qui creauit te, inquit, sine te, non iustificabit te sine te. Adhibendum est ergo diuinæ gratiæ liberum

D. Petri Apostoli auctoritas & dignitas quanta.

Luc. 14. 18.  
Rom 9.

Esaiæ 66.

Matth. 15.

Interrogauit cur Christus discipulos suos. Genes. 2.

Augustin. Arbitrium li-



arbitrium, ut illius, iuxta Apostolum cooperatores simus, ne in vacuum eam recipiamus. Nouerat Dominus Iesus varias de se hominum extare opiniones, & tamen ex discipulis nosse vult, quod melius illis nouerat. Itaque quem dicunt homines, id est, vulgus simplex & indoctum esse filium hominis scribæ & pharisæi hic non commemorantur. Namque illi indignissime de Domino sentiebant: sed homines vulgares, qui non eandem sequebantur sententiã alijs atq; alijs aliter & aliter opinãtib; errore potius, quã destinata malitia. Vocat autem se filium hominis, nõ Dei, pro sua modestia, ne quã dictis suis præ se ferat arrogantia. Humilis Magister vbiq; & verbis & factis humilitatẽ docet, damnat superbã, diaboli prolem, peccati radicẽ.

berum hominis uti adhibendum sit Dei gratia. 1. Cor. 6.

Filium hominis cur Christus nominet.

At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autẽ Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.

Apud Euangelistam Matthæum ita scriptum inuenimus. In illo tempore, audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Hunc ergo Herodis regis errorem etiam quidam è vulgo imitabantur. Libenter enim solent homines simplices potentum iudicio subscribere, utpote quos tantum sapientia, quantum dignitate præstare putant. Ita sæpè ad vnus impij regis aut principis consilium vel iudicium iura ipsa mutantur. Exemplũ euidentis est in Hieroboam rege Israel, qui facillimè toto illo populo vitulorum cultum & veri Dei ac legis contemptum persuasit. Alij Dominum Iesum Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis autumabant. Audierãt namque vel legerant horum patrum gesta, quibus cum Saluatoris quãdam facta similia conspicerent, ex illis similia eum vnum aliquem esse credebãt. Nondum enim erant intus illuminati neque docti à Patre, ut filium possent agnoscere. Tamen impijs Scribis & pharisæis hoc ipso longè præferendi, quod licet Christum non agnouerint, non tamen tam indignè, atque illi, de eo senserint. Et quamvis error iste culpa non caruerit, aberat tamen ab illa blasphemia, quam Dominus vocat irremissibilem, cuius pharisæi & scribæ rei erant. Isti namque manifestis Dei operibus derogabant, non infirmitate, sed inuidentiã & malitiã superati, tribuentes ea Beelzebub principi demoniorum. Volens autem Dominus discipulis suis insinuare eos vulgi opinionibus duci non debere, (à pharisæorum namque & scribarum malitiã procul eos abesse nouerat) eorum quoque fidem & meritum alijs iudicare cupiens, ait ad illos.

Matth. 14.

1. Reg. 11.

Matth. 22.  
Lucæ 11.  
Matth. 12.  
Marc. 3.  
Lucæ 11.

Vos autem quem me esse dicitis?

Vulgus hominum pro suo captu de me sentit. Non enim nisi pauca quædã operum meorum perspecta habent: neque possunt animum erigere ad contẽplandã in me diuinã maiestatem. Externis miraculis pascuntur, neq; vltra progrediuntur, ut ex ijs quæ foris ostendo, ad interna & abscita peruelliganda penetrent. Animalis enim homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Vobis autẽ clarum est nosse mysterium Dei, vobis tanquã amicis meis nota feci omnia quæcumq; audiui à Patre meo, vobis etiã multa extra turbas locutus sum. Quæ ergo vos me esse dicitis? Illi ut homines humana de me opinantur, neq; vltra carnis oculũ sese norunt atcollere. Vos autẽ qui secreta mea multa

1. Cor. 2.  
Matth. 13.  
Marc. 4.  
Lucæ 8.  
Ioan. 14.

h h h z didici



Luc. 11.

didicistis, quem me esse dicitis? Non mihi sufficit, ut eadem sentiat, quæ vulgus sentit: sed maius aliquid à vobis expecto. Cui enim plus datum est, plus etiam requiretur ab illo.

Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei viui.

Petrus tanquam os & caput Apostolici agminis, suo & aliorum nomine responderet: Tu es Christus Filius Dei viui. Confidenter responderet homo piscator, & qui fortè ne prima literarum elementa nouerat: Tu es Christus Filius Dei. Vnde hoc nouerat? Postea id intelligemus ex dictis ipsius Saluatoris. Quid hic dicturi sunt sapientes seculi huius? Anne gloriabuntur adhuc in ingenijs suis? Ecce piscator indoctus intelligit, quod nec tota Academicorum & Peripateticorum schola vnquam verè perspexit. Miraculi plenum est, quod homo instantum simplex Christi diuinitatem potuit intelligere, omni etiam hæsitacione penitus exclusa, cum multi huius mundi sapientes, philosophi & principes eam non perspexerint. Vtq; iam tractus erat: Petrus à Patre, ut veniret ad Filium, eumq; cognosceret. Nam si non esset tractus, nec venisset: si non venisset, nec agnouisset, si non cognouisset, nec credidisset vnquam. Gratias tibi Domine Iesu, qui vnum existens cum Patre abscondisti te à sapientibus & prudentibus, & reuelasti te paruulis. Eam nescioli ex scientijs suis tumidi & inflati, & gloriantur se legisse libros philosophorum, poetarum, imo & autorum omnium: Dominus Iesus simplicem piscatorem elegit, mundi sapientes vanos & impios respuit. Atque in hunc vsq; diem manifesto videmus per plures simplices magnis pollere virtutibus, doctos autem & de sua scientia tumidos ire per abrupta vitiorum & peccatorum. Non tamen hic damnamus scientiam, sed dolemus perosque illorum spectare, ut docti euadant porro nihili pendere ut probi sint. Scientia vtilissima est, si ad Dei & proximi charitatem sincerè referatur. Quæ si non spectetur, toxicum est. Theologi, Iurisperiti, Medici, artium liberalium professores si nõ eo omnia sua studia referant, ut placeant Deo, & iuxta Dei voluntatem profint proximis inanissimè omnem suam locant operam: detestandum non nisi supplicium reportabunt. Sed his obiter dictis propter atrocitates quosdam, qui in multa lectione & eruditione sua gloriantur, putant se melius nosse omnia, quam quosuis alios (quæ causa est errorum & hæresium omnium) atque præ se cæteros contemnunt, ad Euangelij explanationem reuertamur. Sanctus Petrus plenus certæ ac indubitata fide, Christo interrogati, Tu es, inquit, Christus Filius Dei viui, vtramque naturam & diuinam & humanam breuissimis, sed grauissimis verbis confitens. Christus enim ad humanitatem, Filius Dei viui ad diuinitatem pertinet. Deum autem viuum appellat, quia ipse vera est vita, & solus veram habet vitam, solus habet immortalitatem, ut Apostolus ait, qui creaturis omnibus vitam tribuit, repetit ex ipso tanquam sua origine dependentibus: ipse verò non nisi ex se ipso subsistit. Beatus qui sic vitam exigit suam, ut hinc viuo & vero Deo vitam huius quadam felici & sempiterna participatione in cælis coniungi mereatur.

Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Barionæ quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.

Ioan. 6.

Math. 11.  
Luc. 10.

Simplicitas vera quantæ sit apud Deum existimationis. Scientia quæ doctum sit vtilis & laudata.

Hæresum causa omnium quænam sit.

Fidei constantia in sancto Petro quanta fuerit.

1. Timot. 6.



Beatum vocat Christus S. Petrum, quod nihil offensus forma serui, nihil carnis infirmitate reuerentus Christum verum Dei Filium agnosceret, crederet & confiteretur. Et reuera beatus merito dici potuit, quod ad tantam gratiam à Deo electus fuit, vt certa fide crederet esse Deum ac Dominum suum, Messiamque in lege & prophetis promissam, quem videbat non alium esse quam ceteros, esurire, sitire, edere, bibere, lachrymari, laborare, miserijs subiaccere perinde vt ceteros. Totum igitur hoc gratiæ fuit: quod etiam Dominus mox declarat, ita addens: Quia caro & sanguis, id est, carnalis intellectus vel doctrina carnalium Phariseorum non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Ille tibi lumen præstitit, quo fretus me nosse potuisti, neque nosse tantum, sed etiam amare. Pater reuelauit tibi, id est, intus perspicue intelligere ac firmiter credere te fecit me esse Filium suum, mundi redemptorem: idem ipse quoque præstitit, vt me fide agnitum, etiam amore prosequaris. Si enim non amares, non mihi perpetuo comes & discipulus adhereres, non mecum mundi huius mala, Iudeorum odia, & phariseorum persecutiones sustineres. Ergo sic debemus intelligere verba Domini Saluatoris, non propterea eum dicere Petrum beatum, quod Christum nosset duntaxat, sed quod etiam mirabiliter agnitum, feruenter amaret. Verum dicat hic aliquis: Cur rudibus piscatoribus & idiotis Pater reuelauit Filium, & non potius philosophis, regibus, phariseis & scribis? maxime cum per istos citius videatur fides Christi propagari potuisse, quam per illos? Quid Christus ad hæc responderit, iam ante dictum est: at nunc Apostolum quoque quaestioni huic satis facientem audiamus. Videte enim, inquit, vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Quorum verborum sententia est: qui proprio iudicio stulti, infirmi, ignobiles & contemptibiles sunt, id est, humiles eligi à Deo: qui autem suo & mundi iudicio sapientes, fortes & grandes sunt, id est, superbos reprobari. *Humilibus enim Deus dat gratiam, superbi semper resistit.* Humilitas Saulem regem fecit, superbia è regni sede deiecit. *Cum paruulus esses in oculis tuis (ait Samuel Sauli) caput in tribus Israel factus es. Sed quia abiiecisti sermonem Domini, (aduerte contemptum & superbiam) abiicit te Dominus, ne sis rex.* Sic humilima eademque longe sapientissima virgo Maria, *Deposuit, ait, potentes de sede, & exaltauit humiles.* Itaque maluit Deus (quem Propheta terribilem vocat in consilijs super filios hominum) pauperes & simplices ab initio eligere, quod talibus vt plurimum amica sit humilitas: non autem potentes & sapientes mundi fastu inflatos, quod ij diuinæ gratiæ plerumque minimè sint capaces.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauis regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.

hhh 3 His

Simplices  
rudesque discipulos  
cur Christus delegerit.

Iacob 4.

1. Pet. 5.  
1. Reg. 15.

Luce 1.

Psal. 65.



T. V  
22

S. Petrus aut  
Christus no-  
men muta-  
uerit.

Ecclesia quo-  
modo sic fu-  
ger petram  
adiacata.

Apoc. 21.  
Apostoli om-  
nes quomo-  
do nomina-  
tur fundamē-  
ta Ecclesie  
Catholice.

Albertus  
Pyghius lib.  
3. eccl. Hie-  
rar. cap. 3.

Esaię 28.  
1. Cor. 3.  
Ephes. 3.

Apoc. 4.

vicarius  
Christi su-  
premus in  
Ecclesia Ca-  
tholica qui  
nam vere  
confendus.

Ezech. 34.

His verbis aperte declaratur primatus Petri supra ceteros Apostolos. Lutherani quia invident Romano Pontifici Petri successori, nō sibi recom-  
parare possunt, quin etiam ipsi sanctissimo Apostolo derogent. Sed omnia mi-  
seris, illis, quos vtinam illuminet Dominus Iesus, nos Ecclesie Catholice  
fidem & sententiam proferemus. D. Petrus antea Simon vocabatur: at quia  
eximiam de Christo protulit confessionē, nomen Petri optima mutatione  
hic accipit. Vocat enim Dominus Petrum, quia ceteris constantiorem & cō-  
se & fore eum perspexit, Quod nos quoque re ipsa comprobamus. Sedes Petri  
hodieque in fide Catholica perseverat, nec vllis frangitur aduersariorum in-  
sultibus, cum interini tot alie sedes funditus euerse sint. Tu es Petrus &  
super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Hæc verba quidam ad solum  
Christum volunt pertinere, tanquam p̄iacolū sic ea D. Petro accommodare,  
& tamen communi omnium & veterum & recentiorum Theologorum sen-  
tentia ipsi Petro tribuuntur, vt sic sensus Dominus super eum tanquā A-  
postolorum caput & principem suam voluisset Ecclesiam edificare: non quod  
sit ipse præcipuum Ecclesie fundamentum, quod soli Christo conuenisset  
proximum à Christo. Imo non vni Petro tribuitur, vt sit Ecclesie fundamē-  
tum, sed etiam ceteris Apostolis. In Apocalypsi sic habes: *Murus ciuita-  
tis (de noua Hierusalem loquitur, quā vidit Ioannes descendentem de celo)  
habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum.*  
Si ergo alij Apostoli fundamenta Ecclesie vocantur, cur nō magis D. Petrus,  
qui Apostolis omnibus est excellentior. Quidam ex recentioribus, præci-  
rus sanè & insignis autor, verba isthæc Christi ad Petrum: *Tu es Petrus &  
super hanc petram &c.* ita exponit: Dicit Christus Petro, Tu es Petrus &c. per-  
inde ac si diceret: Tamen si ego sim natura illa inuolabilis, & firma petra, cui  
ecclesiastica inædificata domus aduersus ingruentem vim omnē inconcussa  
& stabilis permanet: ego ille lapis angularis, qui totius ædificij vnitatē con-  
tineo: ego quoque illud fundamentū, præter quod nemo potest aliud ponere,  
& in quo omnis cōstructa ædificatio crescit in templū sanctū in Dño: ego ha-  
beam clauē illam Dauid, qui aperio & nemo claudit, claudio & nemo aper-  
ticitibi in nihilo minus mecum participatione cōmunia hæc erunt omnia,  
quæ mihi sunt naturalia. Nam & tu petra es, super quā inædificata Ecclesia,  
nec infernalium potestatum vim pertimescet: tu lapis ecclesiastici ædificij  
compaginis vnitatē continet: tu denique fundamentū etiam Ecclesie. Et cetera  
quoque dabo clauēs regni cælorū, atque eā autoritatē, vt quicquid ligaueris aut  
solueris in Ecclesia hoc ipsum ratum firmiter habeatur in cælis. Hæc ille.  
Et ne quis putet hanc expositionem ex illius cerebro natam, mox graui-  
morum, doctissimorumque Patrum sententijs eam probat, quas nos hic præ-  
termittimus. Verū quando nostris temporibus infelices quidam Rom. p̄o-  
titiæ Ecclesie primatū, quem Dñs Iesus D. Petro tribuit, auferre moluerunt,  
ea de re Patrum sententijs aliquot producemus vt noriat fideles vnum esse  
in Ecclesia Christi vicarium præcipuum, eundemque non aliū quàm S. Petri  
successorē, nempe Romanæ vrbis antistitem. Omnino enim fidelium omnium  
nosse inter est pastorem suū Christi vicarium, ne sint sicut oves non habentes  
pastorē. Quanta autē mala oriatur, si summus antistes nō agnoscat. D. Cy-  
prianus sententia memorabili insinuat. 1. lib. Epistolaru. 3. epistola scribens  
in hæc



in hac verba, neq; enim aliunde hæreses oborta sunt: aut nata sunt schisma-  
ta, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia  
ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: ac si secundum  
magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sa-  
cerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post  
populi suffragium, post episcoporum consensum iudicem se non iam episco-  
pi, sed Dei faceret. Nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, ne-  
mo sibi placens ac tumens seorsum foris nouam hæresim conderet. Hæc  
D. Cyprianus doctissimus atque sanctissimus martyr & Episcopus. Addu-  
camus nunc sanctorum Patrum non omnia, sed pauca de Rom. præsulibus princi-  
paliu testimonia. Anacletus Rom. pontifex & martyr scribit his verbis: Sa-  
cro sancta Roma & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domi-  
no & Salvatore nostro primarum obtinuit, sicut B. Petro Apostolo dixit: *Tu es  
Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* In operibus D. Athanasij  
extat epistola vniuersorum Aegyptiorum Thebæorum ac Lybiorum ponti-  
ficum ad Felicem Papam, vbi nedum sedem Rom. omnibus antelata con-  
fidentur, sed etiam miris efferunt, encomijs, aiuntq; ita à sanctis Patribus  
in concilio Nicæno definitum. Nos ex illa epistola pauca hic referemus: Si-  
militer & à supradictis Patribus est definitum consonanter, vt si quisquam  
episcopum aut Metropolitatum aut comprouinciales vel iudices suspectos  
habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Do-  
mino potestas ligandi ac speciali est priuilegio super alios cõcessa. Ipsa enim  
firmamentum à Deo fixum & immobile percepit. Quoniam ipsam formã  
vniuersorum titulorum lucidissimam, Dominus noster Iesus Christus cõ-  
stituit. Ipsa enim est sacer vertex & cardo, in quo omnes vertuntur, susten-  
tantur & releuantur, &c. deinde addunt: Tu es (sicut diuinum veraciter tes-  
tatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum ecclesie columnæ, id  
est, episcopi, qui ecclesiam sustinere & proprijs humeris portare debent, ti-  
bi sunt confirmatæ, tibiq; clauis regni cælorum commisit, atq; ligare & sol-  
uere potestatiuè, quæ in terra & quæ in cælis sunt, promulgauit. Tu pro-  
phanarum hæresum, & imperitorum atque omnium infestantium depõsi-  
tor, vt princeps & doctor, caputq; omnium orthodoxorum doctrinæ immu-  
tata fidei existis. Hæc enim tam multi, tam sancti episcopi in Alexãdria sy-  
nodo vna cum gloriosissimo fidei propugnatore Athanasio congregati.  
Possent hic innumera alia adduci testimonia, sed vitanda prolixitas est.

Porro quod Dominus ait, Porta inferi non præualebunt aduersus eam,  
de vitijs & erroribus, vel malorum spirituum impugnationibus, aut tyran-  
norum persecutionibus accipiendum est. Et tibi, inquit, dabo clauis regni  
cælorum, præ cæteris excellentius: & quodcunque ligaueris super terram,  
erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum  
& in cælis. Ecce omnipotens Deus tantam tribuit homini potestatem, vt quod  
is definiert, ipse sit in cælis ratum habiturus. Vtinam hæc attenderent, qui  
summum Pontificem eiusq; excommunicationes penitus nihili pendunt.  
Sentient olim sentient, quam tremendum, quam terribile sit à Christi vica-  
rio tradi satana, vel excõmunicationis sententia ligari. Sed quis hæc per-  
suadebit excæcatis peccatoribus? Libet hic in calce adijtere totius sermone Eu-

Cyprianus  
Hæreses ori-  
ni ex absentia  
vel negligenti-  
a pastorum.

Anacletus  
martyr.

Romane se-  
dis priuilegia  
& autoritas  
quanta.

Matth. 16.

Portæ infe-  
rorum qua-  
nam intelli-  
gantur.

Sathanæ tradi-  
à vicario  
Christi per  
excõmuni-  
cationem  
quàm sit ter-  
ribile ac ex-  
ecrandum.

hhh 4. angelij



Leo Paps.

angelij huius reum sed elegantissimam explanationem sanctissimi Leonis Papae eius nominis primi ex sermone tertio de passione Dominica. Vnum, inquit: de toto mundo eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentium vocatus, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus praepositus, ut quis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile huic viro dilectissimi, consortium potentiae suae diuina tribuit dignatio, & si quid commune cum eo caeteris voluit esse principibus, nunquam nisi per illum dedit, quicquid caeteris non negauit. Omnes denique Apostolos, quid de se opinentur homines interrogat, & tandem respondendum communis est sermo, quamdiu humanae intelligentiae explicatur ambiguitas. At ubi quid sensus habeat discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate & potestate. Qui cum dixisset, Tu es Christus Filius Dei viui, respondit ei Iesus. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena te opinio fefellit, sed inspiratio caelestium instruxit, & non caro & sanguis, sed ille tibi cuius sum Filius vnigenitus indicauit & inquit. Ego dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam: Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facit utraque vnum, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere tamquam & tu quoque petra es, qui a mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, tibi sint mecum participatione communia. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praevalent aduersus eam. Super hoc inquit saxum, hanc soliditatem & fortitudinem aeternum construam templum, & Ecclesiae meae caelo inferenda sublimitas in huius firmitate confurget.

Eph. 2.  
Ephes. 2.  
Petrus quomodo a Christo vocatus sit petra.

## SERMO IN EADEM SOLENNITATE.

*Quantum adniti debeant Christiani omnes, ut in S.*

*Ecclesiae Catholicae unitate permaneant, & de laudibus sanctorum Apostolorum Petri & Pauli,*

**T**u es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Et portae inferi non praevalent aduersus eam, Matth. XVI. Magna res est dilectissimi Ecclesia Catholica, tantaeque firmitatis, ut nullis possit perripui quantumuis saeuorum hostium incurtibus, nullis omnino fraudibus aut cuniculis vel daemorum, vel malorum euerri. Insurgant omnes tartarei spiritus, coctus hic mundus, id est, vniuersa impiorum caterua simul vno impetu totisque viribus in Ecclesiam Christi incurrant, nihil tamen omnino illi obesse poterunt, sed velint nolint Petri nauiculam ad portum tandem quandoque saepe gratiae pertingere ferre cogenitur. Non enim fallit aut mentitur veritas quae ait: Portae inferi non praevalent aduersus eam. Nihil autem aliud est Ecclesia Catholica, nisi fidelium collectio sancta, quae rectam de Deo fidem seruat, vera religione, Deum colit & adorat, vnum atque idem sentit, & proficitur in ijs quae ad fidei articulos & sacramentorum unitatem pertinet.

Ecclesia Catholica quoniam vere dicitur.



inent. Est alia Ecclesia, quam scriptura synagogā satanz, & ecclesiam malignantium appellat, quæ purissimo veritatis fonte derelicto turbidam sibi haurit aquam, foditq; cisternas dissipatas, carnalium videlicet opinionum, ex infano nascentium cerebro humanatq; conceptrarum temeritate, plus suo iudicio, quam alijs quibusvis tribuente. Quæ cum non regatur spiritu veritatis & pacis, in multa scinditur, nec vsquam ipsa sibi constat, sed pro varijs hominum ipsi deditorum affectibus & iudicijs modo hæc, modo illa affirmat, eademq; paulo post aut negat, aut mutat. Quæ est origo cunctarū hæresium & errorum, omnis perfidiæ causa. Quam nos D. Paulus Apostolus fugere monuit, ubi ait, scribens Timotheo: *O Timothee depositum custodi, deus enim prophanas vocum novitates.* Quæ verba elegatissime exponens Vincentius Lyrinensis, pietate iuxta ac eruditione clarus, ita ait: Deuita, inquit Apostolus, o Timothee quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solum tactu, sed etiam visu astatuq; percutiant. Quid est deuitare, cum huiusmodi nec cibum sumere. Quid est deuita? *si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert.* Quam doctrinam, nisi catholicam & vniuersalem? & vnam eandemq; per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, & vsque in secula sine fine mansuram? Quid tum? *Nolite, inquit, recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius maligni.* Prophanas, inquit, vocum novitates. Quid est prophanas? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extraneas. Prophanas inquit, vocum novitates: Vocum, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt antiquitati contrariæ. Quæ si recipiantur necesse est vt fides beatorū patrum aut tota, aut certe magna ex parte violatur: Necesse est, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentis, virgines, omnes clerici, leuitæ & sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot insulæ, prouinciæ, reges, gentes, regna, nationes: totus postremo iam pene terrarum orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuncietur. Hæc ille. Quibus verbis graphicè depingit hæreticorum vitanda dogmata, vt pote ex ipsorum infanis mentibus, non sancti Spiritus instinctu hausta ac propalata. Itaque fideles omnes summo debent studio quantum sibi optant propitium habere Deum, & animas suas ab æternis inferorum flammis seruare immunes, ad id anniti, vt nunquam temere ab ecclesiæ Catholice persuasione se patiantur abduci. *Oportet enim hæreses esse vt & qui probant sunt, manifesti fiant.* id est, vt quisque quam enax, & fidelis, & fixus Catholice fidei sit amator appareat. Moueri autem, omni doctrinæ vento, & instar arūdinis quolibet auræ pulsantis flatu agiteri, id verò leuissimæ mentis est. Solidandus ergo est animus, vt etiam si Angelus de cælo aliquid euangelizet, præterquam quod annunciatum est nobis, anathematis loco habeatur. Non mihi dicat quisquam. En tot eruditi homines ita sentiunt: ita scribunt, aliquot etiam principes in hac sententia sunt. Nunquam ergo eruditos eos dixerim, qui à sanctorum Patrum tot seculis receptis sententijs non verentur diuersum sentire, nec eos principes imitandos sentio, qui

Ecclesia satanz & malignantium quam dicitur. Hieron.

1. Tim. 6. Vincentius Lyrinensis.

2. Ioan. 1. Dogmata hæreticorum quanto studio iuncto omnibus verè Catholicis vitanda. 1. Tim. 2.

1. Cor. 11. 1. phel. 4. Math. 11. Luc. 7. Galat. 1.

Docti quia verè dicuntur.





tio, qui impiorum hominum adiuuentiones totius ecclesie consuetudini & sententia anteponunt. Si queras, quamobrem docti errent, & potentes fallantur? Cito respondeo, doctos vel potius scitulos ob suam superbiam deos a Deo in reprobum sensum: potentes vero non omnes, sed qui Deum non metuntur, ob voluptatum & vanitatum studia contemptos a Deo, atque indignos qui veritatem perspiciant. Non est igitur cur quisquam horum exemplo ab ecclesia vnitare sese abiangat. Qui semel in baptismo Christo nomen dedimus, in illius famulatu ad vltimum vsque spiritum constantem permanere debemus. Famulari autem Christo non potest, quisquis extra illius magnam domum, quae est ecclesia catholica, profugus abscedit. Credere quidem potest, & Christum quoque confiteri potest, sed seruum ecclesie Christi esse non potest. Sicut membrum si e corpore distraharur, non potest non emori: ita impossibile est vitam illi manere spirituale, qui ab ecclesie consortio disungitur. Et tamen tales sunt haeretici omnes, Iudei & Ethnici, qui tanto sunt a vera vita remotiores, quanto sese extra ouile Christi magis subducunt & abaliciant. Quorum est reuera misera & deploranda conditio, quandoquidem ethi corpore viuunt, spiritu mortui sunt, & licet saepe calamitosam atque miserrimam ducant vitam, multa quoque secundum speciem praecleara agant opera, dura & aspera multa patientur, noctes saepe ducant infomnes, studijs aut alijs intenci laboribus, tamen post haec omnia mox vbi excefferint e corpore, ducuntur in immane chaos tartarorum, de praesenti exilio & miseria, ad aeternas transeunt tenebras, & ignem inextinguibilem, diabolo & angelis eis paratum: At vero qui in Christo soli in ecclesia sancta catholica fortiter perseuerant, & simplici fide, spe bona, sinceraque charitate, Domino adherent, iuxta capite Christi vitalem spiritum, gratiam, virtutes & sancti Spiritus varia suscipiunt charismata, in se crescunt & augetur: alij tamen plus alijs, prout quisque ad eiusmodi influxum percipiendum sese magis accommodat: atque vbi hinc emigrant, ad caelestem ducuntur patriam, & gloriam sempiternam. Quod si qui interim minus bene viuunt, tamen ab communibus ecclesie praecipuis non excluduntur, quoadiu ab ecclesiastica vnitare diuisi non sunt. Atque ita fit, ut multo facilius possint effici capaces gratiae, quam haeretici & alij penitus ab ecclesia alieni.

Hoc nimirum praestat vnitatis corporis Christi mystici, in quo membra membra pro alijs sollicita sunt, & saniora infirmis studiosius subueniunt, ut possint sanitati restitui, donec tandem omnes occurramus in virum perfectum, quod erit in futura resurrectione mortuorum, quando iam similes erimus capiti nostro, nec quicquam in nobis imperfectum reliquum erit. Haec ratio non solum qui adhuc temporaria agunt vitam, sed qui iam in caelis beati viuunt Angeli & spiritus hominum, beatorum, imo etiam ipsum caput nostrum Dominus Iesus Christus mira nobis beneuolentiae & charitatis coniunctione deuincti sunt, semper sollicitam nostri curam gerentes, ut ad ipsos pertingamus, idque multo magis quam de illis qui foris sunt. Nam & horum quidem salutem diligunt, sed quia eos ab vnitatis corporis, quod ipsi sunt, alienos conspiciunt, minus illos curant quam nos, utpote quos sibi incorporatos sentiunt. Pulcherrime sane D. Ioannes Chrysostramus ecclesiam

Stabilire  
 quanta opus  
 sit in vera  
 Catholicaque  
 fide.  
 2. Tim. 2.

Non verè ca-  
 tholicorum  
 omnium quàm  
 vita, qualis est  
 mors.

Matth. 25.

Catholicorum  
 verò vitam  
 mors quàm  
 felix.

Vnitatis cor-  
 poris Christi  
 mystici quan-  
 to sit enco-  
 mio digna.  
 Ephes. 4.  
 1. Ioan. 3.

Chrysostr. om.



nam Catholicam depingens, ut nos ad illam retinendam colendamq; unitatem illiciat, in opere Homiliarum in Mattheum, quod imperi factum vocant (si tamen ille eius autor est) ita loquitur: Quamvis infestatione inimici ecclesiae, vel seculi tempestate laboret, quibusuis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia Filium Dei habet gubernatorem. Inter ipsos enim turbines mundi, inter ipsas seculi persecutiones, plus gloriae ac virtutis acquirat, quam in fide firma & indissolubili permanet. Navigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu per huius seculi mare, habens Deum gubernatorem, angelos remiges, portans choros omnium sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua euangelicae fidei vela suspendens, flante Spiritu sancto, ad portum paradisi & securitatem quietis aeternae deducitur. Paulo post eodem capite de ecclesia haereticorum idem subiungit. Est & alia seculi navis non Dei, id est, collectio haereticorum, quae sine huius nomen Ecclesiae vendicat, sed est navis maris, quia huiusmodi ecclesia non Dei est, sed seculi: quae licet habere in se praedicationem Dominicae crucis videatur, tamen invalida est arbor eius, quia ubi non est veritas fidei, infirma crucis assertio est. Et ideo huiusmodi navis, hoc est, ecclesia haereticorum amisso verae fidei gubernaculo, dominantibus aduersis spiritibus, in naufragium mortis aeternae demergitur, quae gubernari à Christo Domino non meretur. Hae ille. Quis iam ita amentis erit, ut relicto coetu Filiorum Dei, & congregatione fidelium, quibus Christus ut caput praesidet, illi se impiorum concilio habulo adiungat, cui Lucifer dominabatur? Quis in tantum stolidus ac improbus esse velit, ut aut propria iniquitate sua dignum se faciat, qui Ecclesiae iudicio & autoritate extra ecclesiam eiciatur, aut sua peramentia & pernicacia inde se ipse praecipitet? His enim duobus modis peccator ab Ecclesia expellitur.

Semper ergo dilectissimi Christi corpori inhaereamus, nec quicquam eoque fore formidemus quam à Christi membris separari. Quod si hodie multi ita dementes sunt, ut leuissima facilitate sese transferant ad haereticos, agantque multa, quae Ecclesia Catholica damnat & horrenda anathematis plectit sententia, nos tamen eorum amentiam non imitemur. Maneamus intra ouile piissimi Pastoris & redemptoris nostri Domini Iesu, sicut oves pascuae eius, repleamur in bonis domus illius, sectemur pacem, amemus concordiam, dissensiones summopere execremur. Semper nobis ob oculos versetur Psalmus ille breuis, sed grauisimo sententiarum pondere venerabilis, quo Propheta canit: *Eccce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Si ut vnguentum in capite, descendens &c.* Ecco inquit, quam bonum & quam iucundum habitare fratres, nempe Christianos omnes intra sanctam Ecclesiam Catholicam, in vnum, id est, in mutua charitate, & dulci animorum consensione, ut ne qua admittant scandala, nullas velint haereses, dissidia quauis execrentur, sed vnum teneant baptisma, eundem colant Dominum, indissimilem fidem profiteantur, & pacem inuolabili seruent studio, quicquid paci aduersum est respicient. Nimirum adeo suavis ac iucunda pax est, ut quidam sapientes afferunt nihil in natura praestantius, nihil dulcius excogitatum. Vera namque pax est tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris,

iii 2 charita-

Ecclesia Catholica quam pulchre nauis comparatur.

Collectio haereticorum qui Ecclesiae sibi nomen usurpat.

Ecclesia bifaria multaque ab haere à se.

Psalm. 94.  
Psalm. 94.  
Hebr. 13.  
Psalm. 32.

Facere vera vti nihil dulcius vel praestantius in vita haberi potest.



T V  
Z Z

charitatis nexus, Reip. solamen, domorum iucunditas, angelis domestica, daemionibus inimica, Deo super omnia grata, & omnium rerum concordia. Et ubi concordia est, ibi harmonia, ibi suavitas, ibi iucunditas. Ex pace pervenitur ad benedictionem, de benedictione ad vitam & regnum, ex vita vero ad unionem felicissimam cum Deo. Unde ultimo huius Psalmi verbi Propheta sic habet. Quoniam illic, ubi scilicet fraterna viger concordia, induit Dominus benedictionem, & vitam usque in seculum. Deus enim pace delectatur, & amat pacis studiosos, benedicitq; illis, ministrando gratiam in praesenti, qua freti crescant & progrediantur in iustitia & sanctitate, & vitam sine fine in futuro seculo. Illos autem qui transgredi non verentur terminos a patribus statutos, segregantque semetipsos, animales, spirituum non habentes, invidiosos prudentia suae, dicentes se sapientes cum sint stulti & miseri, ediverso Deus iustus & sanctus execratur ac maledicere usque in aevum sempiternum. Hac de causa beatissimi Apostoli Petrus & Paulus, quorum hodie insignem triumphum Ecclesia celebrat gratulabunda & laetitia, modis omnibus conati semper sunt ad pacem, ad concordiam, ad miram charitatem ad veram unitatem fideles exhortari. Pro hac denique mundi unitate etiam sanguinem suum fundere non dubitarunt. Quos nobis Dominus Iesus duces & patres atque pastores praeposuit, quorum & exempla & praecipua adhortationesque sectemur, & meritis ac precibus adiuvemur. De quorum meritis & virtutibus quae omnem loquendi superant facultatem, ut ait Leo papa sanctissimus, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit aequales. eorum, ut idem inquit, gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiae membra prouexit, ut in corpore, cui caput Christus est, quasi geminum illos condidit lumen oculorum. Quos etiam Dominus grauius labi permittit, ut ex se ipsis discerent humanae fragilitati condolere, tamen lapsos rursus mirabiliter erexit, tantisque gratiae & gloriae cumulauit donis, ut penè nullis eis possit equiparari. D. Petrus prius ancillae voce, ita perterritus, ut Dominum negaret, postmodum nullos neque reges, neque praesides neque tyrannos contuit. D. Paulus quanto atrocius ante erat Ecclesiam persecutus, tanto immuniore postea pro Deo & Ecclesia labores ac dolores libentissime sustulit. De S. Petro apud D. Clementem libro VII. Recognitionum ipsius Petri verbis fertur in hunc modum: Panis mihi solus cum oliuis, & raro etiam cum holeribus in usu est. Indumentum autem hoc est mihi quod vides, tunica cum pallio: & haec habens, aliud nihil requiro. Hoc mihi sufficit: quia mens mea non ad haec praesentia, sed ad illa quae aeterna sunt, aspicit: & ab eo nihil me rerum praesentium visibiliumque delectat. Paulus vero de seipso scribens. Castigo inquit, corpus meum & in seruitutem redigo, ne cum aliquo in aedificatione ipse reprobus efficiat. Rursumque alibi scribens Thessalonicen. Vos autem testes estis & Deus quam sanctè, & iuste & sine quaerela vobis qui creditis, assumimus. Itemque: Memores estis fratres laborum nostrorum & fatigationis. Noctè & die operantes, ne quem vestrum gratiamus, predicauimus vobis Euangelium Dei. Ex quibus & alijs testimonijs patet innumeris, elucet horum venerabilium patrum erga corporis edomationem & rerum omnium contemptum feruor ac studium: quos etiam non aequalibus passibus, tamen pro modulo nostro imitari debemus.

Pacis verè fructus qui sint.

Iud. 1.

Rom. 1.

Leo Papa. Apostolorum Christi pacem in terra quantam.  
 Matth. 23. M. 10. 14. Petrum Apostolum cur Carillus se negare permittit. Act. 5.

S. Clemens Papa. D. Petri Apostoli frugalitas & paupertas quanta.

1. Cor. 9. 1. Thess. 2.

Ibidem. Apostolorum rebus vici omnibus Christi auis inhaerere conueniat.



dehemus. Si enim tam præcellentes viri, quos iam sancti Spiritus gratia adeo confirmarat, vt in peccatum mortiferum labi non possent, vsque adeo in seipos rigidi fuere, qua fronte, quaue conscientia nos audebimus molli- ter & delicatè viuere, nostrisque indulgere affectibus, carni quicquid liber subministrare, de Dei misericordia securi, pœnitentiam salutarem negli- gere cum tamen miseri & fragiles simus, & alijs atque alijs subinde vitijs implicemur? Angustam esse viam, quæ ducit ad cælos non iam ex Christi tantum verbis, sed etiam Apostolorum eius gestis discimus. In hac perseue- remus, ab hac ne latum vnguem recedamus. Quod si adhuc pusilli sumus & debiles, paruusque in nobis inest feruor erga Deum, confugiamus ad beatos Apostolos, eorumque suffragia ambiamus, vt quantum proprijs peccatis deprimimur tantum Apostolicis meritis erigamur. Neque timere debemus, ne parum nobis tantorum patrum collatura sit intercessio apud Deum. Non possunt vllam apud Deum repulsam pati, qui iam vnum cum Deo ef- fecti sunt, vsque adeo in diuinitatis abyssum absorpti, adeoque Deo coniun- cti, vt quod Deus est per naturam, ipsi sint per gratiam. Quanto autem er- ga nos maiorem illorum experti sumus charitatem & sollicitudinem, tanto eos feruentiori amore & gratitudine profequi debemus. Per hos enim re- uerendissimos patres nobis Christus annunciat, per hos gentium cæ- citas prostrata est, & lumen veritatis orbi inuictum, potestas dæmonum & seua tyrannis exclusa: denique optima & præclarissima nobis tradita vi- uendi præcepta. In quibus tanta extitit charitatis & misericordiæ abun- dantia, vt haud secus conuertendis miseris obsecratisque peccatoribus totos se impenderint, quam si omnes ipsi genuissent. De ipsis D. Bernardus qua- dam concione piè admodum & eleganter ita ait. Tales decebat humano ge- neri pastores & doctores constitui, qui & dulces essent, & potentes, & nihilo minus sapientes. Dulces, vt me blandè & misericorditer susciperent: poten- tes, vt fortiter protegerent: sapientes, vt ad viam & per viam ducerent, quæ ducit ad ciuitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter omnes ad se conuo- cat peccatores, sicut & Actus apostolici, & epistolarum eius series attestatur? Quid illo potentius, cui & terra obediuit cum mortuos reddidit, & mare sub pedibus eius se calcabile præbuit? qui Simonem Magum spiritu oris sui in aère attigit, qui claues regni cælorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri, sententia cæli? Quid autè illo sapientius, cui non caro & san- guis reuelauit? Libentissimè Paulum sequor, qui præ nimia dulcedine luget eos, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiã: qui fortior est omni prin- cipatu & potestate, sapientiam & medullam sacrorum sensuum non à primo vel secundo, sed à tertio cælo largiter asportauit? Idem de eisdem alio sermo- ne loquens: Apostolorum, inquit, Christi festus agitur dies, quibus sanè plu- rimum à nobis honorem deberi scio: sed vtrum possit aliquis exhiberi, hæ- sito factis. Nimis enim honorati sunt amici tui Deum, nimis confortatus est principatus eorum. Quid enim? Si in terra adhuc positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo, quid non poterunt hodie viuètes in æterna felicitate cum ipso? Diuus quoque Maximus Episcopus in horum patrum laudem sic ait: Hi sunt Ecclesiarum columna Petrus & Paulus, quos & vita sanctissima ve- nerabilem perduxit ad mortè, & gloriosus occasus fecit esse perpetuos. Quos

Matth. 7.  
Lucæ 11.

Sanctorum nos  
suffragijs ad-  
iuuari.

Bernardus.

potentia &  
dulcedo Apo-  
stolorum.

Matth. 14.  
Marc. 6.

Matth. 16.  
bidem.  
1. Cor. 12.

Apost. 9.  
1. Cor. 12.  
Bernard.

Psal. 38.

S. Maximus.



T V  
22

Idem.

S. Petrus & Paulus cur vno die vnoq; in loco ac sub vno tyranno passi sint. S. Maxim.

non solua honoramus vt martyres, sed & vt magistros patresq; martyrum veneramus, qui Ecclesiam Dei & celestis predicacionis doctrina, & p[er] sanguinis effusione fundarunt. Itemq; Beati Petrus & Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prerogatiua precellunt. Verumter ipsos quis cui preponatur incertum est. Puto enim illos aequalis esse merito, quia aequalis sunt passione & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putemus, quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent: vno in loco ne alteri Roma deesset: sub vno persecutore, vt equalis crudelitas vtrunq; constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Horum ait idem alibi, per vniuersum mundum hodie passio veneranda celebratur, horum hodie concursu laetissimo excolit Roma martyrium, & quorum dudum impia persecuta est sanguinem eorum, nunc peculiari deuota patrocinio gloriatur. Hec ille antiquus & insignis pontifex. Itaque dilectissimi tam sanctos, tam illustres, tam precellentes patres & patronos nostros ardentissime diligamus, studiosissime veneremur, quotidianis precibus ac pie deuotionis affectibus & officijs inuocemus, & eorum institutiones ac exempla sectemur, prestante Domino nostro Iesu Christo, qui viuere & regnat Deus in secula, Amen.

SERMO II. IN EODEM FESTO.

*Ut Christum Petrus amaret, & vicissim Christus Petrum. De beneficijs Dei nobis collatis: de laude vitæ monastica: vt Christiani omnes agni esse debeant, & de virtute obedientie.*

**D**ixit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis, dilige me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu sis qui amas me. Dicit ei: Pascis agnos meos. Ioannis XXI. Tamquam charissimi non ignoraret Dominus præ cæteris se plus diligi à Petro, nihilominus percunctari ex eo voluit, vt & nobis id innotesceret. Planè multum dilexit B. Petrus Dominum Saluatorem. Vultis ne aliqua huius rei signa discere? Possunt ex pluribus obiter tria commemorari. Primum est, quod mox vocantem se Dominum Iesum relicto omnibus secutus est. Secundum, quod ex animo tempore passionis dixit ad Christum: Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. Ex illo bonæ voluntatis seruire etiam extracto gladio amputauit deinde auriculam serui Dominum inuadens. Tertium, quod tam vehementer doluit se primum magistrum negasse, vt quo ad superuixit semper noctibus surgens, fleuerit illud peccatum suum, quod tantum non malicia, sed animi infirmitate admisserat. Fereur etiã quoties dulcissimè allocutionis Christi fuisset recordatus, non potuisse sibi à lachrymarum temperare præ nimia amoris dulcedine, atque ob id perpetuo suo in sinu sudarium tulisse, quo lachrymas tergeret, ita crebro ex oculis eius manantes, vt facies eius quasi adusta videretur.

Amoris B. Petri ad Christum argumenta triplicia que. Ioan. 1. Lucæ 22. Matth. 26. Marc. 14. Matth. 27. Lucæ 23.

S. Clemens Papa.

Amoris Christi ad B. Petrum argumenta sex que.

Sed quia Deus non potest non diligere diligentes ipsum, consequens est Petrum tam singulariter diligentem etiam vicissim à Christo haud vulgariet amatum esse. Quod quidem sex potest argumentis comprobari. Primum est quod



Matth. 16.  
Ioan. 21.  
Matth. 16.  
Act. 13.

Act. 13.

Beneficia Dei  
vri nobis ei-  
us amorem  
excitant.  
Augustia.

Quare qua-  
les que nos  
Deus creauit.

Rom. 8.

Ioan. 17.

Vocatio ad fi-  
dei Dei que  
cognitionem  
quantum sit  
beneficium.

Rom. 1.  
Vocari ad  
monasticum  
institutum  
quam sit be-  
neficiū mag-  
nificum.  
Aristot.

Exod. 13.  
Deut. 4. 6 a.

quod Christus illum fecit Apostolorum caput. Alterum quod eum suum Vicarium & totius Ecclesie principem declarauit. Tertium, quod illi singulariter dedit clauis regni caelorum. Quartum, quod efficaciorum miraculorum gratiam illi prestitit, adeo vt ad ymbra corporis eius mortui excitarentur. Quintum quod predicationi eius magnam contulit virtutem, ita vt octo millia Iudaeorum paulo post missum Spiritum sanctum conuerteret. Sextum quod passionem illius fecit gloriosam eo ipso, quod eum permisit ad sui exemplum crucifigi. Verum quid prodest charissimi, si Petrum nonerimus & feruenter amasse Dominum, & eximie charum fuisse Domino, nisi & nos arden- ter amare Christum studeamus, vt ab illo in idem multum amemur? Multa quidem sunt, quae nos ad Christi amorem prouocent, sed vt ait D. Augusti- nihil hoc a quo efficit, atque frequens & sedula beneficiorum Dei recorda- tio, ex quibus perspicue licet intelligi, quanto opere nos & amari & amari. Et quamuis infinita in nos sint Dei beneficia, tamen nobis pauca retulisse hoc loco sufficit. Primum illius beneficium est, quod nos creauit ad imaginem & similitudinem suam. Si quaeras cur id fecerit, non ob aliud sanè quam pro- nimia bonitate sua, qua cupiebat nos suae beatitudinis participes efficere. Quales verò nos condidit? Certè admodum nobiles & illustres, & qui crea- turis cunctis dominaremur. O si perstitissemus in obedientia integra erga illum, quam felices modo essemus. At euerit sumus hortatu diaboli, & pro- prio consensu. Iam penitus actum erat de salute nostra. Non erat spes vlla redeundi ad pristinum statum. Itaque Deus misertus nostri, quasi in seipsum crudelis fuit, vt nobis parceret. Videbat ex nobis ipse nullum nobis restare auxilium vel consilium. Itaque Filium suum in similitudinem carnis peccati, vt ille omnis peccati expers immeritas daret poenas pro peccatis nostris. O Patris inestimabilem charitatem, o Filij incomparabilem obe- dientiam. Agnosce o homo quanti te fecerit Deus tuus, & vel iam nunc in- gratus esse desine. Vt tu viuas vita aeterna, mortis debitum pro te soluere non dedignatur. Dixit ipse Dominus in Euangelio: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vi animam suam ponat quis pro amicis suis*, & tamen ipse maiori cha- ritate mortuus est etiam pro inimicis. Tertium beneficium est, quod voca- uit nos ad fidem & cognitionem nominis sui. Paruum ne hoc vobis dile- ctissimi beneficium videtur? Non est paruum, sed immensum. Potest id vel inde intelligi quod tam innumeros reliquit in densissima mentis caecitate, vt creaturae potius seruiant quam creatori, & dicant deos opera manuum suarum: quorum omnium certa damnatio est. Est & aliud eius eximium bene- ficium, quo nonnullos vocat ad aliquod institutum monasticum amplectendum. Paucis hoc contingit, praesertim his turbulentis temporibus, sed quanto paucioribus praestatur, tanto magis colligi potest esse haud vulgare Dei bene- ficium. Vt enim Aristot. in Ethicis ait, omnia preclara rara, laudabilia & pul- chra. Meministis vt olim ex Aegypto eduxerit Deus filios Israel, & quoties in veteri lege preceperit, vt essent memores tanti beneficii. Idè facit Deus, quando hodie certos quosdam electos suos ex hoc seculo nequam vocat ad vitam monasti- cam, quae sanctorum virorum testimonio velut quaedam paradysus terrestis est: esto quod quidam illic non bene viuunt: quod nihil illi vires derogat, quando etià ne- mo propterea damnat matrimonium, quod multi sint adulteri. Potest adhuc



Parcere peccatis quâ sit Dei maximû beneficium.

Monastica vita quanta sit laude cõmendanda.

Lucæ 11.

Ioan. 12.

Pontifex Romanus curamunia detinet in alios.

aliud huic adferri non paruipendendum Dei beneficium, quod nobis tam benignè peperit multo tempore in peccatis nostris. O quam innumera tam cruciantur apud inferos, qui fortè nõ nisi vnum perpetrarunt peccatû mortiferum: & nos post plurima peccata adhuc pœnite ndi spacium habemus. Si vel semel peccassemus, iure nos creaturæ omnes persequi deberent. Cum enim cetera omnia, quæ Deus condidit, quâvis rationis expertia, tamen seruent ordinem & modum suum, homo rationalis contemnit æternæ leges Dei sui, nullis neque promissis, neque minis illius flexus. O magnam & inolerandam hominis ingratitude. Et quia hodie plerique derident eos qui monasticen amplectuntur, libet pauca in illius laudem hic commemorare. Certè charissimi non est vita monastica contemnenda. Si omnem scripturam sacrâ diligenter perspexeritis, inuenieris eos qui hodie monachi vocantur, multa exempla, multasq; scripturæ sententias pro ipsis facientes habere. Imo verò non contemnendæ autoritatis patres libere asseuerant profectiuenem monasticam baptisimi virtutem habere, ita vt hominem prioris libere à culpa & pœna, si tamen ritè fiat. Si enim vt Dominus ait, elemosynam danti omnia munda sunt: & vt Theologi dicunt, posset quis tantas prælatæ elemosynas, vt peccatis omnibus & pœnis absolueretur, cur non id multo magis assequatur is, qui sese & omnia sua dedit & offert Deo? Itemq; si is qui martyrij causa pro Christo & iustitia mortem excipit, totus sic liber ab omni culpa & pœna cur non etiam id obtineat monachus, qui ob Christû mortem amplectitur spiritalè, & longos ac acerbos multos fert dolores scripturæ & propriam mortificando voluntatem? Vnde etiam nulla solet alicui pœnitentiæ multa grauior irrogari, quam vt sese in cœnobium aliquod recipiat. Possunt autem, quibus Deus eam donauit gratiam, vt monasticen amplecterentur, merito de tanto beneficio gratulari, cum ob multas alias causas, ut etiã, quod vt sancti patres argumentis certis probant quoties se gaudent cœnobiu perisse, & Deo seruituros obtulisse, integram consequuntur veniã peccatorum, si se peccasse doleant. Nõ ergo deridendi sunt, sed laudandi, qui contemptis mundi vanitatibus, totos se conferunt ad seruiendum Deo. Atq; his interim non nihil extra ordinem dicitis, ad Apostolum Petrû reuertamur. Audiistis iam ante quantum is Christû dilexerit, & quantum illum Christus amaret. Superest, vt & hic audia is, vt Christus illi oues suas pascendû commiserit. Vt enim ex sermonis huius themate aduertere potuistis, Christus illû oues suas pascere iussit. Non enim voluit pius Dominus ex hoc modo abiturus gregem suum penitus desolatam relinquere, sed sui loco aliu præfecit rectorem & pastorè, nempe S. Petrum Apost. dicens illi: Pasce agnos meos. Quod licet soli dictum sit Petro tanquam vniuersæ Ecclesiæ præcipuo pastor, cuius etiam potestate funguntur, quotquot illi legitime succedunt. Rom. Pont. tamen etiam cui libet prælato cura incumbit gregè sibi creditum pascendi. Cum enim non possit vnus Rom. Antistes omnibus satis facere, curæ suæ partè multis alijs communicauit, quibus singulis dicit Christus, Pasce agnos meos, id est, habeto curam populi mei tibi commisi. Quod autem Dominus dicit, Pasce agnos meos, hoc vtriq; vult intelligi, vt Christiani omnes, qui tamen ad ipsius ouile velint pertinere, sint agni, id est, simplices, mansueti, innocetes, instar agnorum tractabiles, sine clamore & murmuratione.



sine invidia & mordacitate (non enim mordent agni pastoris manum) sine calcitracione, sine elatione & proteruita. Atque utinam nos charissimi tales agni simus. Si quidem eiusmodi Christus nos esse voluit, quando ait praelatis nostris: Pasce agnos meos. Non dixit: Pasce vitulos meos, pasce lupos meos, pasce porcos meos. Non enim id genus hominum, qui horum animantium habent mores, Christus suis vicarijs pascendos commisit, ut tales permanerent, sed ut oves fiant. Itaque etsi tales quandoq; feruntur, ideo fit, ut politici malis moribus, in numerum agnorum transeant, id est, ex malis boni fiant. Quod si nolint, arceudi sunt & excludendi ab agnorum consortio, ne illos perdant. Per vitulos, qui insolentes sunt, nec fraxum patiuntur, nec ligari se sustinent, sed curstant, & saltant, & clamitant, possunt accipi homines immorigeri, dissoluti, inquieti, qui frenum obediencie ferre nolunt, nec suis obtemperare praelatis, sed rupto sanctae obediencie chamo, quo duci debuissent ad aeternae pascuae felicitatis, instar vitulorum currunt praecipites quocunq; illos propria ducit voluntas: nec nisi vi quadam & poenarum formidine ad praelati voluntatem flecti possunt. Qui si tales perseverent, tandem boues & tauri, vbi cornua creuerint, efficiuntur, omnibus intolerabiles & intractabiles. Per lupos intelligamus homines iracundos, vindictae cupidos, detractionis libidini deditos, discordiae semina spargere paratos, rebelles, & velut canes latrantes. Lupi enim sunt canes sylvestres. Tales pascere molestissimum est. Et quamuis vni eiusmodi saepe maior cura, quam centum alijs impendatur, tamen plerumq; labor est superuacaneus, quia licet foris quandoq; ovina sumant pellem, tamen intus lupi ingenium permanet, atq; eo ipso multo sunt perniciosiores, quam si manifesto sese proderent. Istos omnino expedit a grege Dominico remoueri. Porci deniq; illos significant, qui ad bona opera, & ad quae obligati sunt, quaeq; ad Dei spectant honorem, pigri ac desidiosi sunt, & somnum ac carnis delicias amant, foedisq; cogitationibus & factis ut porci sese inquinant. Sed his praetermissis (non enim volumus horum studia imitari) ad oves redeamus. In veteri lege agni praecipue erat hostiae quae Domino offerebatur. Et nos charissimi, qui diabolo & pompis eius abrenunciavimus in baptismo, debemus modis omnibus esse agni, ut simus grati Deo sacrificium. Habent agni quamvis irrationales pecudes, proprietates quasdam suas quas etiam hominem imitari deceat. Agnus animal est mansuetum, humile, patientissimum, & irae prorsus expers. Id sane maxime nos imitari conuenit, quando & Apostolus dicit: *Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Quod si qui nos affligant, non moueamur, quandoquidem tales nobis praebent proficiendi materiam, multo magis, quam qui palpant, aut laedant nos. Ira quatuor habet gradus. Primus est in corde: alter in facie: tertius in lingua: quartus in facto. Ad hoc vitium reprimendum multum valet, ut dum quis eo se accensum sentit, linguam fraxnet penitus, donec cesset ignis pestilens. Si enim nullum habeat ignis spiramen, facile sua sponte extinguitur. Attamen notandum hic est, iram, quatenus est passio naturalis, & motus quidam rationem praeviens, non esse peccatum, si ratione cohibeatur, ne voluntate, aut locutione, vel facto ad peccatum erumpat. Et eiusmodi motus primus vitari vix potest, praesertim a Cholericis, qui sunt ad

Vi tulli quina  
m ylice ca-  
fendi fiat.

Boues & tau-  
ri qui a my-  
sice dicitur.

Lupis quoad  
similes sint  
homines.

Porcis quina  
homines sig-  
nentur.

Exod. 12.  
Leuit. 1. 12.  
Num. 7. 28.

Agnorum pro-  
prietates bo-  
nae quae sunt.

2. Tim. 2.

Ira gradus  
quatuor qui.

Ira quando  
fit peccatum.

kkk iram fa-



iram faciles. Deinde agnus matrem suam etiam inter mille oves nullo negotio agnoscit. Sic & Christiani debent agnoscere superiores suos, qui quotenus eos reprehendunt, docent, regunt, pascunt, sunt patres eorum: quotenus eos consolantur, eis blandiuntur, & pietate quadam eos trahunt & inuarias remittunt, matres sunt. Itaque debemus prelati nostris, tanquam spiritalibus parentibus honorem & reuerentiam exhibere, qualescumque etiam sint, adeo ut etiam sublimiter, & bene de illis sentiamus, si non ob vitium meritum, si forte manifestè mali sint, tamen propter officium, quando & Christus illis dicit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Atque sine his duobus, puta dilectione & reuerentia erga prelatum, non potest esse vera & sincera obedientia, ex qua tamen precipue pendet tota salus nostra: sed obedientia inter virtutes morales precipuum tenet locum: & quicquid sit obedientia, duplex habet meritum: vnum ex ipsa actione, alterum ex virtute obedientia. Fit sæpius, ut minus bonum si fiat ex obedientia, longè acceptius Deo, maiori bono ex propria voluntate peracto. Vnde haud mediocriter præstatur cõsolatio illis, qui monasticum sunt professi institutum, quibusdo quicquid agunt nisi sit ex se malum, etiam si alioqui indifferens sit, propter obedientiam faciant, meritum inde acquirant, puta, si comedant, bibant, dormiant, &c. Sed & Christiani omnes quicquid faciunt boni, amittunt mali, eo semper referre debent, ut diuinæ obediant voluntati. Est autem duplex obedientia. Vna necessitatis, qua quis vel natura, vel consuetudinis lege obtemperare habet, ut seruus domino, filius patri: Et hæc habet quidem meritum suum, si rectè & ordine fiat: altera est voluntaria, qua quis ultra siue ipsi Deo, siue prelato propter Deum morem gerit. Hæc magis meriti apud Deum, & de illa dicitur 1. Reg. 15. Melior est obedientia, quam victimæ. Porro obedientia meritum in prosperis sæpè minuitur ex propria voluntatis desiderio: ut si cui aliquod officium publicum, quod illi honori possit esse vel quæstui, imponatur, tãto minus inde habet meriti, quãto magis ipse eo aspirat ex propria voluntate, quæ in talibus minima esse debet. Aduersus autem quanto plus accedit propria voluntatis assensus, tanto est magis meritoria obedientia: ut si cui iniungatur ieiunium, & ille ex deuotione valde cupiat ieiunare. Ad obedientiam, sine qua nullus poterit saluus fieri, prouocare nos potest, & debet, quod Omnipotens Deus sæpenumero horribili vindicta castigauit inobedientes. Probat id Luciferi, & complicitate eterna damnatio, Adæ & Euzæ ex paradiso expulsio & totius humani generis calamitas inde secuta. Vxor is Loth in statuum conuersio. Saulis à regni sedis deturbatio, prophetæ illius, qui contra præceptum Domini comedit panem in Bethel, à leone præfocatio, & alia scripturæ exempla, ut cetera committam, quæ à sanctis patribus passim commemorantur. Maximè verò commouere, debet quemlibet Christianum quod ipse filius Dei non solum Deo Patri, sed & Virgini matri, & patri putantio, multis quæ alijs libentissimè obediuit. Cuius exemplo permoti multi sancti homines, noluerunt propria voluntatis gaudere libertate, sed alterius arbitrio se regendos commiserunt. Denique S. Patres nostri & Apostoli Petrus & Paulus, quibus hic dies factus est, sanguinem suum fundere, & innumera perpeti aduersa maluerunt, quàm à Dei obedientia discedere. Itaque & nos dilectissimi castigemus corda nostra

Agnus ut matrem suam agnoscat.

Prelati quando honorandi sunt.

Luc. 10.

Obedientia ut meritum habeat duplex.

Monachus ut semper mereri possit.

Obedientia duplex quæ.

Meritum obedientia quomodo vel minus crescat.

In obedientiam ut Deus semper puniatur.

Isaia 14. Genes. 19. 1. Reg. 5. 2. Reg. 15.

1. Pet. 2.

T V  
Z Z



*stra* in obedientia charitatis, ut simus veri agni & oues Christi, & ab illo agnosci mereamur. Ambulemus semper sub obedientia cum amore & reuerentia erga prelatos nostros, cum mansuetudine & patientia erga proximos, & equals, cum bono exemplo erga mortales omnes, ut in extremo die cum ouibus collocemur à dextris filij Dei, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum, Amen.

IN SOLENNITATE VISITATIONIS BEATISSIMÆ SEMPER VIRGINIS MARIE: Epistolam cum sua Paraphrasi quare in Festo Conceptionis eiusdem Beate Virginis Mariæ.

EXEGESIS EVANGELII IN EODEM FESTO.

*Luca primo.*

**F**requenter Ecclesia Catholica memoriam celebrat matris Dei, honorante filio Dei matrem suam. Nectamen quantumcunque illi impendat pio venerationis, dignè se eam laudare, aut pro meritis extollere posse putat Ecclesia. Quis enim dignis vehere laudibus possit matrem Omnipotentis Dei? Sed satis facit deuotioni suæ, colens eam per quam se suscepisse nouit redemptorem atque seruatorem suum. Atque hoc ipsum pijs omnibus non solum non molestum, sed suaue & iucundum est, identidem scilicet honorare virginem tam beatam, quamuis impios hæreticos id torqueat, putantes derogari filio, quod matri impenditur. Sed nos dilectissimi quantum possumus in matris Dei laudibus perseueremus, certi id gratissimum esse Deo, qui intantum hanc sacratissimam dilexit virginem, ut nulla omnino creatura illi vlla ratione possit comparari. Cuius rei certissima documenta sunt, quod Deus Pater æternus vnigenitum Filium suum verum quoque huius Virginis Filium esse voluit, quod eam in singularem elegit sponfam suam, atque adeo præ creaturis omnibus eam honorauit, ut cuncti etiam triumphantis Ecclesie ciues eam iure fateantur dominam, reginam, ac imperatricem suam, utpote Dei ac creatoris sui matrem. Quod etiam Filius Dei non modo per gratiarum charismata, per illuminationem, dilectionem atque familiaritatem externam, sed etiam per naturalem quædam, ut sic dicam, identitatem se illi coniunxit, de illius substantia sibi corpus assumens. Quod denique Spiritus sanctus mentem eiusdem sacratissimæ virginis tam perfecte sibi conformauit, ut nunquam aliquid voluerit, appetierit, egerit aut omiserit, quod Deo displiceret: sed in omnibus ita se gesserit, ut voluit Spiritus sanctus. Quæ tanta sunt incomparabilis erga ipsam amoris totius adorandæ Trinitatis argumenta, ut ambigi nullo modo possit, quin illi fuerit semper longè charissima, atque ea re velit eam quoque nobis esse charissimam, & modis omnibus præ coli & honorari à nobis. Non ergo timeamus, ne sit in iniuriam Dei, si matrem illius veneremur, certi hanc esse illius voluntatem. At nunc ad Euangelium veniamus, quo describitur causa solennitatis hodiernæ, nempe visitatio matris virginis, quando perrexit ad S. Elizabeth salutandam. At ergo S. Lucas Euangelista:

Beata virgo  
Maria cur ab  
omnibus ho-  
norari debe-  
at.

kkk 2

Exur-